



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 258. Dicentes: Domine, recordæti sumus quod seductor ille dixit. v. 63.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

intrare domum eius & hoc faciunt illi ipsi qui nolebant ut Christus verbo aliquo hominem in sabbato sanaret. O iterum hypocritin! O Pharisæismum!

**M**ansuetissime Iesu, *Gens hac sine consilio est sine prudentia utinam saperent & intelligerent ac novissima providerent*: Tu certè Domine prædicasti animam propriam odio habendam esse, proximum diligendum, & illi faciendum bene: illi vero perverlo consilio abeunt in reprobum sensum, ardentissime amantes vitam, & honorem, & carnem suam, & odio habentes honorem tuum, & carnem tuam & vitam tuam, qui tamen es vita æterna. O bone Iesu, ne me permittas unquam in huiusmodi hypocritin devenire, ut quod verbis damno, opere expleam; & quod in aliis damnare debeo in me incastigatum dimittam.

§. 258. *Dicentes: Domine, recordati sumus quod seductor ille dixit. v. 63.*

Principes Iudæorum ita in Christum exacerbati erant, ut flammam livoris & invidiæ intus conservare non valerēt quin erumperet, etiam post ignominiosissimam mortem, licet non ignorarent ipsum Christum fuisse innocentissimum, vitam sanctissimum & divinum, omne bonum & docuisse & præstitisse ut probant verba eius & miracula. Video, quo modo ipsa peccata peccatores suos torqueant, & quam nullam eis dent requiem, imo quomodo eos deprimant. nam, ecce, hi qui pridie non habebant Regem vel Dominum nisi Cæsarem nunc ipsum Pilatum crudelem ipsis, coguntur vocare Dominum, & cuius corpus pridie occiderant, eius nunc verba timere. O labor peccatorum! quam es durus!

**O**Iesu, bone seductor, qui à peccatorum onere & tyrannide dæmonis seducis homines ad requiem & vitam æternam deduc me in terra mandatorum tuorum, doce me facere voluntatem tuam, qui es vera via & vita, ne abeirem à te sicut hi malevoli, homines pertinaces, qui poluerunt sicut adamantem faciem suam, & allueverunt repugnare melle dulcioribus misericordiis tuis & doctrinæ, ideo non intrabunt in requiem gloriæ tuæ.

§. 259. *Post tres dies resurgam. v. 63.*

Audierant invidi & dolosi Principes Christum dicentem: *Sicuti Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & noctibus, ita erit filius Dei in sinu terra: & hoc signum erat ipsis datum quando signū petebant à Iesu vel è cælo sursum vel in terra deorsum.* Forte etiā rumore inaudierant Apostolis dictum fuisse: *Eccce ascendimus Ierosolymā & filius hominis tradetur & crucifigetur, & tertia die resurget.* Hæc aliæque indubie scrutatores isti audierant & ideo timebant ne poste-